

Dominus, & adsit cordi tuo & desiderio meo, ut fraternam voluntatem nulla major voluntas impediat. Quia ergo duas jam epistolas misi, nullam autem tuam postea recepi, easdem ipsas rursus mittere volui, credens, eas non pervenisse. Quæ etsi pervenerunt, ac fortasse tuæ potius ad me pervenire minimè potuerunt, ea ipsa scripta, quæ jam misisti, iterum mitte, si fortè reservata sunt: sin minus, rursus dicta, quod legam: dum tamen his respondere ne graveris, quod jam diu est ut expecto. Primas etiam, quas ad te adhuc presbyter literas præparaveram mittendas per quendam fratrem nostrum Profuturum, qui postea collega nobis factus, jam ex hac vita migravit; nec eas tunc ipse perferre potuit, quia continuò, dum proficisci disponit, episcopatus sarcinâ detentus, ac deinde in brevi defunctus est, etiam nunc mittere volui: ut scias, in tua colloquia quàm olim inardescam, & quam vim patiar, quòd à me tam longè absunt sensus corporis tui, per quos adire possit ad animum tuum animus meus, mi frater dulcissime & in Domini membris honorande.

In hac autem epistola hoc addo, quod postea dicimus, Job ex Hebræo à te interpretatum, cum jam quandam haberemus interpretationem tuam ejusdem Prophetæ ex Græco eloquio versam in Latinum; ubi tamen asteriscis notasti, quæ in Hebræo sunt, & in Græco desunt; obeliscis autem, quæ in Græco inveniuntur, & in Hebræo non sunt, tam mirabili diligentia, ut quibusdam in locis, ad verba singula, * singulas stellas significantes videamus, eadem verba esse in Hebræo, in Græco autem non esse. Porro in hac posteriore interpretatione, quæ versa est ex Hebræo, non eadem verborum fides occurrit, nec parum turbat cogitantem, vel cur in illa prima tantâ diligentia figantur asterisci, ut minimas etiam particulas orationis indicent deesse codicibus Græcis, quæ sunt in Hebræis; vel cur in hac altera, quæ ex Hebræis est, negligentius hoc curatum sit, ut * hæ eadem particulae locis suis inveni-
 rentur. Aliquid inde, exempli gratiâ, volui ponere: sed mihi ad horam codex defuit, qui ex Hebræo est. Veruntamen quia prævolas ingenio, non solum quod dixerim, verum etiam quid dicere voluerim, satis, ut opinor, intelligis; ut causâ redditâ, quod movet, edifferas. Ego sanè te malle Græcas potius Canonicas nobis interpretari Scripturas, quæ Septuaginta interpretum auctoritate perhibentur. Perdurum erit enim, si tua interpretatio per multas ecclesias frequentius coeperit lectitari, quòd à Græcis Ecclesiis Latinæ Ecclesiæ dissonabunt; maximè quia facile contradictor convincitur Græco prolato libro, id est, linguæ notissimæ. Quisquis autem in eo, quod ex Hebræo translatum est, aliquo insolito permotus fuerit, & falsi crimen intenderit; vix aut nunquam ad Hebræa testimonia * pervenietur, quibus defendatur ob-
 jectum:

CAP. II.

* Al. stellas significantes videamus.

44.

* Al. non

* Al. pervenitur,

F

Elum: